

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Michael Friedrich Quade Johann Heinrich Wübbauer

**Dissertationis Ex Historia Literaria, De Viris Statura Parvis Eruditione Magnis :  
Quaestiones Praeliminares ; Die 22. Maji Ao. 1706.**

Gryphiswaldiae: Adolphi, [1706]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830121048>

Druck Freier  Zugang



[http://purl.uni-rostock.de  
rosdok/ppn830121048/phys\\_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830121048/phys_0001)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

*B6-1053<sup>1-31</sup>*



2.  
3.  
4.  
7.



25-  
26  
*Q. B. V.*  
DISSERTATIONIS  
Ex HISTORIA LITERARIA,  
De  
**VIRIS**  
**STATURA PARVIS**  
**ERUDITIONE MAGNIS,**

*Quæstiones Præliminares,*

*Consentiente*

Amplissimo Philosophorum Ordine

In Academia Gryphisw.

*Placido Eruditorum Examini submittunt*

PRÆSES

**M. MICH. FRID. QUADE,**

*Zachan. Pomer.*

*&*

RESPONDENS

Jo. HENR. WÜBBÆR, *Wurſato Bremens.*

*Die 22. Maij Ao. 1706.*

---

GRYPHISWALDIAÆ,  
Typis GEORGII HENRICI ADOLPHI,  
Reg. Acad. Typogr.

*Summe Venerabili in Christo Patri  
atque  
Immortalium in universam Christi Ecclesiam merito-  
rum THEOLOGO,*

**V I R O**  
*Magnifico & Excellentissimo*  
**DN. D. JO. FRID.**  
**MAYERO,**

Palatii Cæsarei Comiti, S. R. M. Suec.  
Consiliario in Sacris Primario, Gryphiswaldensis Aca-  
demiae Pro-Cancellario Perpetuo & Professori Primario, Con-  
fistorii Regii Præfidi, Superintendenti totius Pomeraniae Sue-  
cicæ & Rugiæ Generali, ad D. Nicolai Pastori, Faculta-  
tis Theol. Decano Spectatissimo & Universit.

*h. t. RECTORI,*

*Domino Mecænati, Patrono atque Præceptor i  
humillimo summe observantie ac pietatis cultu  
etatem suscipiendo,*

Dissertationem hanc qualemcumque grati animi tesseram,  
cum multa studiorum suorum commendatione atq; prolixis-  
simo salutis voto, sacram esse voluit ac debuit

**TANTI NOMINIS**

*Cultor devotissimus  
RESPONDENS.*



2. B. V.

## PROOEMIUM.



Um illi demum rite recteque præfati mihi videantur, qui instituti sui & causas & methodum tractationis ordine æque ac in compendio præmittunt: Hinc, ne ipse ego justam aliorum incurram censuram, mox in limine B. L. latere nolui, me in Dissertatione hac i) non Elogiographi officio defunctorum, & undique conquisitis argumentis, quicquid in genere ad Brevitatis staturæ laudem facere queat, in medium prolaturum. Præterquam enim quod verear, ne idem mihi eveniat, quod olim Sophistæ cuidam librum à se scriptum recitare paranti, (qui, interrogatus ab Antalcida, quodnam esset argumentum? cum respondisset: Herculis Encomion: quis, inquit Antalcidas, illum vituperaret? Supervacaneum existimans in iis laudandis tempus terere, qui uno ore ab omnibus prædicarentur) insuper vix credam fore, qui aliis staturæ brevitatem exprobrando fatuus sese annumerari desiderent à Plutarcho Commentar. περὶ Φυγῆς: Labore hoc me quoq; super sedere posse judicavi, ne actum egisse videar, cum prolixius jam idem argumentum sint prosequuti, *Erycius Puteanus*

A

annus

26

29

28

DFG

*anus, cuius Parvorum Encomion Caspar Dornavius*  
refert Tom. I. Amphitheatri Sapientiae Socratice Foco-Serie p.  
792. seqq. *Albertus Wichgrevius* Oratione ha-  
bita in illustri ad Varnum Academia teste *Io. Eysio*  
Hamburgens. in *Discursu suo pro statura hominum Proceri-*  
*tate* p. 8. quæ postea 1627. Francofurti sub Titulo *de Mi-*  
*nigavdēwōis* sive Homulis lucem vidit. *Sam. Rosa*  
Disp. peculiari de *Pusilla statura Praeminentia Colon.* ad Spr.  
1675. citante *Mart. Lipenio* in *Biblioth. Reali Philo-*  
*sophica Tit. Statura,* & qui primo loco nominandus erat  
*Theophilus Raynaudus* infinitæ lectionis Jesui-  
ta in *Lande Brevitatis*, quæ seorsim primum prodiit Gra-  
tianopoli. Anno 1649. 8v. postea Tom. XIII. Opp. in ser-  
ta. Sect. III. Cap. IV. p. 479. seqq. (2) Non mihi ani-  
mum esse ad longinqua nunc abire, virosque hic dare  
quoscunque aut rerum gestarum magnitudine illustres,  
aut arte præ ceteris insignes atq; excellentes. Non  
enim prolixè laudabo *Alexandrum M.* universi fere orbis  
Domitorem: non commemorabo *Pipinum Primum ex Prin-*  
*cipe Francorum Regem:* disimulabo *Attilam* mundi  
terrorem & Dei flagellum: non arcessam huc ex Caro-  
lo Sigonio *Narsatem Persum*, ex Dione *Antonium Caracallam*:  
tacebo *Herculem* excelsorum spirituum Prototypon, a-  
liosque innumeros Brevis staturæ Heroes, de quibus  
merito illud *Virgilii* dixeris quòd *libr. IV. Georgic.*  
vers. 83. ad apes transtulit:

In

*Ingentes animos Angusto in Corpore versant.*

Sed (3) eos saltem recensere, qui doctrinâ & scriptis ex Eruditorum Ordine in ora virûm etiam à morte venire meruerunt: Neq; hos omnes, quis enim numerum iniret? Verum selectum quendam instituam Celeberrimorum in quacunque scientia & literatura Virorum, quorum non solum Eruditionem sed & Prosopographiam, literis consignando, dignam judicarunt, quæ Posteris admirationis effet argumentum Scriptores, quos omnes evolvere atque propriis tractare manibus licuit, adjutus ornatisimâ pariter & instructissimâ, indigno mihi fideique meæ concreditâ Bibliothecâ, *Summe Venerandi in Christo Patris & Theologi immortalium in Universam Christi Ecclesiam meritorum, Magnifici b. t. RECTORIS & Acad. Pro-Cancellarii Perpetui, DN. D. JO. FRID. MATERI, Patroni, Evergetæ ac Preceptoris, humillimo pietatis & obsequii cultu, quoad Spiritus meos reget artus, suscipiendi.* Ceterum hos mihi, quibus brevis hæc nostra opella terminabitur, fines posui, ut prius quam ad recensum Virorum brevis statutæ eruditorum pedem promoveam, in qua anno rum series, prout in vita se invicem excepere, ordinem mihi præscribet, *Questiones* aliquot, quarum argumentum Procœmii terminos excedere, & tamen non omnino commode à me intactum relinqui posse, mihi videbatur, quanta fieri potest brevitate expediendas præmittam. *Qui conatus ut feliciter & ex sententia succedant, Te, ô Deus ἀπεσταπολήπτης!* Tuumque auxilium supplicibus juxta ac calidissimis imploro precibus.

A 2

Qv.

28

26

## Qv. I. An Adam fuerit gigas?

**M**Erito sollicitos nos habet Quæstio hæc de statura Primi ejusdemq; sapientissimi mortalium, tantoq; magis, quanto certius est in definienda illa non unam Doctis hærere sententiam. Mittimus nunc, tanquam ab instituto nostro aliena, quæ de *Adamo Pisciforme, Androgyno* ut & monstrosa illa Primi Hominis *Statura Bicorpore* scil. & *Collaterali* Judæi eorumque Doctores nagan-  
tur: Ut ex *R. Samuele Bar - Nachman* recenset *Menasse Ben Israel* in *Conciliatore* p. 14. Latin. Edit. Francof. 1633. ac sententiæ illius Patronos lau-  
dat *R. Salomonem, R. Aben-Esra, R. Bahye,*  
*R. Eliezerum Germanum & Isaacum Ca-  
rum*, quibus adde ex *Bereschit Rabbah R. Mosis  
Haddarschan* apud *Raymundum* in *Pug. Fid.*  
*Part. III. dist. 2. Cap. III. n. 1. R. Jeremiam* & ex *Observat.*

*Josephi de Voisin ipsum Rambam* in *More Ne-  
bbochim*, quem tamen ut ab hac opione absolvat, verbaq;  
ejus secundum sensum aliquem occultum intelligenda  
esse Lectori persuadeat, nullum non movet lapidem.  
Neque tamen præter Judæos quoque alieni sunt ab hoc  
monstro *Plato* in *Symposio*, *Franciscus Georgius  
Venetus* in *Problemat. Script. S. Tom. I. Probl. 29.* *Augu-  
stus Steuchus Chisamensis Episcopus* in *Cosmopoeia s. Com-  
ment.*

ment. ad tria Priora Cap. Genes. Tom. I. Opp. p. 686. seqq. Edit. Paris. 1578. Fol. cum *Anonymo* quodam in Francia apud Cornel. à Lapide ad Genes. I, 27. Quos tamen aliosque monstrorum hujus opinionis Patronos accuratior Sacri Textus inspectio uno veluti iictu prosternit: Neque enim Moses dicit בָּרָא אֶת־הַמְּנֻשָּׁה Creavit illum, sed בָּרָא אֶת־הַמְּנֻשָּׁה Creavit illos, adeoque distincta duo separataq; individua, Masculum scil. & Fœmellam, fuisse indigitat.

Sed ut in rem præsentem redeamus: Genebrarus in *Chronographia*, & Jo. Lucidius Libr. I. de Emend. Temp. Cap. IV. Adamum proceritate corporis fuisse Gigantem, quinimo gigantum omnium, qui unquam fuerunt, maximum, affirmant, idque adducti Versione Vulgata loci illius Josuæ Cap. XIV. vers. ult. Nomen Hebron ante vocabatur Cariath-arbe: *Adam maximus ibi inter Enacim situs est.* Enacim autem gigantes fuisse probant ex relatione virorum, quos Chanaan exploraturos emiserat Moses Num. XIII, 32. 33. *Populus, inquiunt, quem aspeximus, proceræ statura est: Ibi vidimus monstra quedam filiorum Enac de genere Giganteo, quibus comparati quasi locusta videbamur.* Atque hinc concludunt: Si Adam maximus fuit comparatione Enacinorum gigantum, liquere eum gigantem fuisse maximum. Quod autem Josuæ l.c. Adamus, i.e. Primus totius humani Generis Parens intelligatur, autoritate Hieronymi confirmari posse censem, qui super Cap. XXVII. Matthbai asseveranter scribat: *Adamum non in monte Calvariae ut mul-*

ti putarint, sed in Hebron, ut tradit Josua (eo scil. quem memoravimus loco) sepultum esse. Verum & hi procul dubio commentum suum hauserunt ex Rabbini, quorum prolixum Catalogum necit *Moses Barcephas* in Libro quem scripsit de *Paradiso Cap. XIV.* Rabbini enim, resertissimi quippe in fabulis adinveniendis, ut giganteam Adami afferant staturam, comminiscuntur: Adamum in *Paradiso terrestri*, qui immenso oceano interfuso à nostro nunc orbe disjunctus fuerit, à DEO locatum, cum propter peccatum ex eodem ejiceretur, suis pedibus (tanta enim eum corporis fuisse Proceritate) transmisso oceano in hunc nostrum orbem venisse. Sedes vero Fabulæ hujus est in *Mischna Talmud*, cuius verba ex *Massechet Sanhedrin*, אחר רוני ממונות פר' *Raymundi* l. c. hic damus. *Dixit Rab*, Adam primus à fine mundi usq; ad finem ejus creatus est, sicut dictum est *Deut. IV, 32*. A die quo creavit Deus hominem super terram & ab extremo cœlorum usq; ad extremum cœlorum: Cumque superfluit, vel putuit per peccatum, posuit Deus manum suam super eum & minoravit eum, sicut dictum est *Psal. CXXXIX, 5*. Retrorsum & ante formasti me & posuisti manum tuam super me. Idem quoque habet *Massechet Bava Batra* טב. Post fabulosam autem hanc diminutionem varie Rabbini inter se digladiantur circa staturam Adæ à Deo relictam: Alii enim cum *R. Jodan* centum cubitorum illam fecerunt, alii cum *R. Simeone* tantundem addiderunt, alii cum

cum *R. Eleazare* trecentorum fuisse dixerunt, aliū denique cum *R. Abau* ad nongentos cubitos accreverunt. *conf. R. Avahu in Bereschit Rabba Parascia* 12.  
pag. 14. col. 3. & 4. & si quis his aliisque de fabulosa Adami statura delectetur, præterea addat ipsum *Bereschit Rabba Parascia* VIII. & XIV. & *R. Simeonem in Jalkut*. pag. 6. col. 3. Edit. Venet. ex quibus potiora hoc spectantia collegit *D. Julius Bartoloccius de Celleno Congregat. S. Bernardi Ref. Ord. Cisterc. & S. Sebastiani ad Catacumbas Abbas Part. I.* pag. 64. seqq. *Bibliotheca Magnæ Rabbinicaæ, quæ Rome 1675. Tomus IV. Fol.* prodiit.

Verum in his Rabbinorum nugis refellendis tempus aliquod aut operam ullam consumere merito supercedemus, cum eas enumerasse sit refutasse. Ad *Lucidium tamen & Genebrardum* eorumque rationes examinandas paucis revertimur. Has autem firmas parum, quin etiam ipsis Sacrae Scripturæ Oraculis parum consentaneas esse, in confesso est.

Nolo equidem cum *Marco Varrone apud Gell. N. A. L. III. c. 10. Macrobio L. I. c. 20. Strabone L. xvii.* Ex Patribus cum *Chrysostomo in Caten. in Genes. Damasceno in Catena, Ambrosio de Noa c. 4. & ex ipsis Judæis cum Iosepho L. I. Antiqv. Judaic. c. 5. & Philone de Gigantibus, aliisq; (quos fuse enumerat*

Leon-

*Leonth. Marius, D. & Prof. Theol. Coloniensis in Di-  
gressione de Gigant. ad Cap. vi. Gen. 4.)* in dubium vocare,  
vel prorsus inter fabulas referre, adeoque allegoricē  
non historice interpretari, quæcunque de Gigantea ho-  
minum traduntur magnitudine, cum in contrarium  
testium nubes pro ajentium sententia ex Sacris pariter  
& Profanis Scriptoribus adduci queat, qui extitisse Gi-  
gantes h. e. vasta & inusitata corporis mole & robore  
homines uno ore affirmant, ut adeo de hujus rei veri-  
tate velle ambigere, meridiana luce esset cœcutire.

An vero Adam in horum numerum referri possit est  
de quo maxime dubitamus. Spiritus S. enim originem  
Gigantum diu post mortem Adæ, mox scil. ante tem-  
pora Diluvii, cum videlicet humanum genus immanis-  
simis flagitiis atque sceleribus corrumpi cœperat, re-  
stringit: *Gigantes, inquiens, erant super terram in diebus il-  
lis; Postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illisq;  
pepererunt, isti sunt potentes à seculo viri famæ.* Gen. VI, 2.

Neq; Josuæ locus quicquam pro eorum militat sen-  
tentia: ut enim taceam longe aliter illum vertisse LXX.  
Interpretes, quotusquisque est qui ignoret, *Adæ* vo-  
cabulum in translatione non semper Proprium es-  
se Primi hominis, sed commune etiam & appellati-  
vum, idem apud Hebræos significans ac apud Latinos  
*vox hominis*, ut adeo sensus sit illius loci: Propterea Ur-  
bem Hebron olim dictam fuisse civitatem Arbe, quod  
*Arba* homo inter Enacinos maximus ibi fuerit; Ma-  
ximus autem dici poterat, vel nominis celebritate &  
rerum gestarum gloria, vel Principatus amplitudine,  
poten-

potentiâ & diuturnitate, vel denique, quod urbis illius conditor aut gentis Enacinorum sator & Parens extiterit: Conf. cap. XV. 13. cum præced. cap. XI. 21. Quam sententiam confirmare videtur accurrior Originalis Textus consideratio: ille enim ad verbum latine redditus sic habet: *Nomen Hebronis olim fuerat Cariat-Arbe, is fuerat homo inter Enacinos maximus.* Adamum vero Protoplastum ibidem fuisse humatum, non satis validè autoritati Hieronymianæ superstruitur, cum eadem firmitate illi opponi possint *Cyprianus* in Serm. de Resurrect. Christi, *Epiphanius* Libr. II. contra Hæres. Cap. ult. *Augustinus* Serm. LXX. qui est de Immolat. Isaac aliisque innumeri, qui uno ore affirmant, Adamum in monte Calvariae esse sepultum: quos tamen *Io. Baptista Vilalpandus* cum Hieronymo conciliare studet *Apparat.* Urbis ac Templ. Part. I. lib. I. cap. 9. p. 36. col. 2. statuens, utroq; in loco Adamum esse sepultum, primo quidem in Hebrone, post autem tempore inundationis, Noam ossa Adami sustulisse, atq; inter filios distribuisse, ex quibus Sem Caput Adami natus illud in Calvariae loco sepe ligerit, qua in conjectura de assensu *Iac. Edesseni* Syri & *R. Simeonis Hesraite* sibi gratulatur. Deniq; si vel maxime concedatur dicto loco de Adamo i.e. Primo homine sermonem esse, aliæ tamen subesse possunt rationes, cur vocetur maximus; vel quod immediate à Deo supernaturali modo creatus, origo fuerit & seminarium totius generis humani, vel quod singulari-

B

bus

26

28

29

bus à Deo præ ceteris hominibus ornatus & cumulatus fuerit beneficiis, utpote justitiâ originali, insigni rerum scientiâ, immortalitate & felicissimo Paradisi terrestris domicilio &c. Conf. ad hunc Josuæ locum Commentarios Andreæ Masii Antwerp. A.D. 1574. Jesuitarum Cosmæ Magaliani Bracharensis, Turnoni A.D. 1612. & Nic. Serarii Paris. 1610. & Moguntiae 1622. Fol. editos.

Qv. II. An ergo Prisci, præsertim Ante-Diluviani, ut longævitate ita quoq;  
Statura antecedant homines quos  
nostra nunc profert ætas?

**A**FFIRMANT id haud pauci, qui, ne gratis idem affluisse videantur, & rationibus & Authoritatibus suam fulcire opinionem conantur: In subsidium enim vocant Scripturam, scilicet illud *Esdræ Lib. IV. cap. V. 52.* Considera ergo & tu, quoniam minori statura estis præ his, qui ante vos, & qui post vos, minori quam vos, quasi jam senescentes creature & fortitudinem juventutis praetereuntes: & **Pauli** Rom. VIII, 20. 21. quod vanitati mundus sit subjectus, & quod liberandus sit à servitute corruptionis in libertatem glorie filiorum Dei. Laudant præterea sententiæ suæ Patronos, ex **POETIS**, Homerum *Iliad. Lib. V. & XII.* *Virgilium Aeneid. Libr. XII. v. 899. seqq.* Horatium *Libr. III. od. VI.* Juvenalem *Satyr. XV. vers. 69. seqq.* Litt.

cre-

24

cretum Libr. II. vers. à fin. 23. seqq. Ex PHILO-  
 SOPHIS & MEDICIS Varronem apud  
 A. Gellium Libr. III. cap. x. Plinium Hist. Nat. Lib. VII.  
 Cap. XVI. Jo. Casum Oxoniensem Libr. VIII. Comment. Phy-  
 sic. p. 956. seqq. Emil. Parisanum Nobil. Exercit. Lib.  
 I. Exercit. 10. Marcellum Donatum Medic. Mantu-  
 anum Lib. IV. cap. 14. Petrum de Peramato Lib. de  
 Evacuand. Rat. cap. 24. Iac. Dalechampium  
 Medic. Cadomensem Lib. II. de Peste. Nic. Nancelium  
 Tract. de Analogia Microcosmi ad Macrocosmum Lib. VII. coll. 1190.  
 E. & 1192. C. imo ipsum Galenum Comment. 2. in Hippocr.  
 de Fracturis Tex. 27. & Hippocratem VI. Aphor. 28. 29.  
 30. Ex PATRIBUS Cyprianum Libr. adv. De-  
 metrianum f. 233. Ambrosium Epist. XLII. Augu-  
 stinum Lib. XV. de Civit. Dei Cap. IX. & Qu. V. T. qu. 28.  
 Sidonium Apollinarem Lib. VIII. Epp. 6. &c. &c.  
 Quibuscum rationem asserti sui reddituri, ad decanta-  
 tum illud Nature Scium atque labescentem mundi sene-  
 scientis vigorem confugint: Scilicet Naturam quoti-  
 die in pejus ruere, à pristino nitore & robore deficere  
 omniaque per sensibilem defectum & paulatinum dis-  
 cessum ad exitum progredi, ajunt.

B2

In-

28

28

26

Inter sexcenta autem alia quæ de Elementis, Lapidibus, Plantis, Animalibus Brutis &c. afferre solent & in compendio videri possunt ap. *Io. Casum* l. c. & qui eum refutavit, *Henr. Kippingium Inst. Physic. Lib. I. cap VI. n. 8. pag. 35. seq.* tanquam luculentissimum hujus rei testimonium urgent, *Prisorum Longævitatem longissimasque primorum hominum præsertim Antediluvianorum ætates in proceræ atq; giganteæ statuæ corporibus, facrâ paginâ aliisq; fide dignissimis testibus, quibus impium foret contradicere.* Quanqam autem non eo audaciæ dicam an vesaniæ? cum *Varrone* apud *Lactantium lib. II. cap. 12.* aliisque procedamus, ut annos illos Patriarcharum tantum 36. dierum, seu menstruos non solares esse statuamus. vid. *Augustinum lib. XV. de civ. Dei c. 13. Rivetum Comment. in Genes. Exercit. XLVIII. pag. 192. Io. Henr. Heideggerum in Hist. Patriarch. Sacra Part. I. Exercit. 12. 13. & 14. de anno & ætate Patriarcharum Antediluvianorum.* *D. Strauchium Brev. Chronol. lib. IV. cap. 3. qv. 1. p. 378.* Aut ob multiplicationem generis humani cum *R. Levi* citante *Genebrardo lib. i. Chronol.* longævitatem eorum prouidentiæ non naturæ opus fuisse dicamus: Ambabus licet largiamur manibus, Patriarchas quam diutissime vixisse atque gigantea corpora gestasse; tantum tamen abest, ut exinde languor naturæ nostris temporibus ad judi-

judicari queat ut contrarium potius inde elici posse  
firmiter credamus.

Primo enim, ut autoritati *Autoritatem* opponamus,  
omnibus seculis in quibusdam Nationibus fuisse non-  
nullos, qui ordinarium annorum ætatis numerum ex-  
cesserint, observarunt jam pridem & exempla college-  
runt *Io. Henr. Heideggerus* l. c. Exercit. 14. de  
*Longævitate Patriarcharum Antediluvianorum.* *Henr.*

*Meibomius* Epistola de Longævis, *Baco de Verula-  
mio* in Hist. Vit. & Mort. Opp. p. 515. *Cl. Salmasius*  
Diatrib. de Annis Climact. p. 740. seqq. Edit. Elzevir. Lugd. 1648.  
*Baptista Codronchus* Medicus Imolens. Comment. de  
Ann. Climat. & modis vitam producendi Part. II. cap. 1. 2. p.  
116. seqq. Edit. colon. 1623. *Io. Beverovicus* Medic. pa-  
tavinus Epistolica Qu. de vita termino fatali an mobili? cum Doct.  
Resp. Part. II. p. 244. edit. secund. Lugd. 1636. *Herm. Con-  
ringius* Dissert. de Vita & Morte §. 80. seqq. *Schraderus*  
Dissert. Physic. de Nature Senio Lips. 1670. habit a &c. Eandem  
operam navarunt in colligendis exemplis hominum  
corporibus ad giganteam proceritatem ascendentibus  
præditorum, à priscis Hebræorum temporibus ad no-  
stra usque secula, ex *Goropio* *Becano*, *Cassanione*, *Procopio*,  
*Mela*, *cardano* &c. *Jonstonus* Tavmatograph. Natural.  
class. ult. cap. IV. art. 1. p. m. 526. *Conringius* Libro de  
causis habitus corporum Germanorum Antiqui & novi Helmst.  
1666. & passim autores qui de gigantibus scripferunt.

B 3

De-

26

28

29

28

26

Deinde *Rationes* quoque sunt in promptu. Quod si enim respectu longissimæ Antediluvianorum ætatis, brevissima hæc nostra, ob senescencis mundi & naturæ imbecillitatem, ad disparem adeo annorum numerum pervenisse sit dicenda, certe, ex proportionis lege necesse esset, ut jam non annos, sed nec menses vitæ spacio æquaremus, cum à creato mundo usque ad Mosis & divini Psaltis tempora ab annis 900. & 800. ad 70. vel 80. quod summum erat, vitam decurtatam fuisse, sacræ perhibeant paginæ Ps. XC. idque tanto magis quanto certius est hujus Universi Machinam interitui & fini suo esse proximam. Ast, cum experientia satis testetur, eundem æquare homines hodie, quem Davidis tempore statuerint ordinarium vitæ terminum; ajentibus incumbit rationem suppeditare, quare ad illa usque tempora tam celeri cursu naturæ vis in hominis duratione defecerit, ut illius vitam ad tam brevem terminum reduxerit & quare exinde ad nostra usque tempora per annos 3000. & quod excurrit, nil jam de illorum vita imminuendo, in eodem statu & termino illam reliquerit. Eadem Proportionis ratio contra staturæ quoq; per languorem naturæ, imminutionem militat. Quod si enim statura hominum semper tenderet in deterius, vix aliquid ac ne vix de humana specie superesset: Finitum enim per ablationem finiti necesse est ut pereat.. Optime ergo in hanc rem *Heurnius* libr. III. Prognost. 40. Non, inquit, Natura fatiscit: Si enim illa elongaueret, jam sane diu internecione deletæ essent quam plurimæ rerum species, in eo homines ipsi, nec Philosophi ullum argu-

meli-

mentum invenissent, quo mundi aeternitatem firmassent. Et  
**Justus Lipsius** *Physiologia Stoica* libr. III. *Dissert.* V. pag.  
 977. Tom. IV. Opp. *Vesaliae*. 1675. Edit. Quæ dictio & argumen-  
 tatio si vera, & ab evo in ævum homines minores: quid cauſe,  
 quin jam Pygmai, & minus, simus? Atqui conſtat nos à bis tergā  
 mille annis parum aut nil mutaſſe, & populari aliqua preſum-  
 tione illa, non veritate ſcripta.

Quod reliquum eſt, ex adductis quoq; ſub initium Quæ-  
 ſtionis duobus Scripturæ Locis, parum roboris adverſae  
 ſententiæ accedit. Primus enim, utpote ex Apocrypho,  
 nil niſi falſo emendatū Esdræ nomen præfe ferente,  
 Libro depromtus, in eundem nobis censum venit cum a-  
 liis profanorum autorum ſcriptis, quibus humanam jam  
 dum aliorum oppoſuimus autoritatem. Alter autem A-  
 poſtoli Rom. VIII, 20. 21. haud quicquam præter in-  
 firmitatem, impuritatem & deformitatem Creatu-  
 ræ per lapsum contractam, ſpecierum ſimul & in-  
 dividuorum ad totalem & finalem per ignem diſſoluti-  
 onem, properationem innuit & illarum abuſum, cum  
 Creatoris infamia illiusque ſervorum danno conju-  
 etum, perſtringit. Aut ſi mavis cum *Celeberrimo Lipsiensi-*  
*um Theologo, Summe Reverendo D.N.D. Thoma Ittigio*  
 de Creatura rationali locum explicare, desiderium ex-  
 primit fidelium ad gloriam filiorum Dei h. e. electo-  
 rum cœli civium, in extremo die post resurrectionem  
 corporum revelandam. *Conf. eruditissimam ejus Dissert.*  
*de Creatura gemebunda ad Rom. VIII. 19. - 23. Anno 1700. Lipsiæ*  
*habitam.* Ecquid autem ſolatii exinde ad probandum  
 mundi ſenium aut naturæ defectus atque his ſuperſtru-

Etiam

24

29

28

26

Etiam vitæ pariter & Corporum Abbreviationem ?

**Qv. III. Utrum Lappones Pygmæis  
accenserit mereantur?**

**E**xtra omnem contradictionis aut dubitationis ale-  
tam positum est, habere Lappones præ aliis Septen-  
trionis gentibus id peculiare, ut brevissimæ sint statu-  
ræ, id quod ad unum fere omnes observarunt, quo-  
quot vel gentem hanc & regionem describendam sibi  
sumserunt, vel ulla rationem mentionem ejus injec-  
runt, quorum testimonia colligit *Io. Schefferus*  
*in Lapponia cap. V. pag. 28, seqq.* Adducit enim hanc in rem  
*Paulum Iovium in Descriptione Moschoviae* qui Lap-  
ponibus *exiguam corporum staturam esse* dicat; *Jac.*  
*Zieglerum Libello de Regionibus Septentrionalibus*, qui  
*modice, Damianum à Goës qui mediocris, Olaium*  
*Magnum lib. IV. cap. II.* qui *pusilla, Lomenium*  
*Brienne comitem in Itenerar.* qui *Brevissime staturæ gentem*  
*esse, uno ore affirment omnes: Præter hos autem*  
*Isaacum Vossum Observat. ad Pomponii lib. III. cap. 8.*  
*qui prorsus ordinariam & legitimam Lapponum statu-*  
*ram trium tantum Cubitorum facit, atque hinc tricubitales*  
*eos appellat; Causam vero brevitatis hujus in frigus*  
*intensissimum conjicit, quanquam rectius hac in parte*  
*sentire mihi videntur, qui cum Scheffero l.c. id cibo*  
*tri-*

tribuunt, quo, utpote parum apto ad alendum aut corpus faciendum, vescantur Lappones. Quod si enim frigoris violentia tantum in culpa esset, qui ergo fieret, quod nec ceterorum quoque Septentrionis incolarum corpora cœli inclemenciā ad eandem brevitatem redacta esse videamus, quin potius proceritatem ut plurimum in iis admirremur. Neque tamen hæc, brevissimæ staturæ, Lapponum gens ulla ratione veterum æq; ac recentiorum de *Pygmæis* fabulæ patrocinio adest, id quod ex subsequenti quæstione pluribus patebit.

## Qv. IV. Quid ergo de Pygmæis statuendum?

**P**ygmaei (*Plinio* quoque *Spithamei* dicti *Libr. vii. c. 2. H. N. p. m. 291. Edit. Dalechamp.* à cubitali magnitudine nomen sortiti: ἐσιγαῖν πυγῶν ἀπὸ ὀλευχάνθης ἄξετος μηρῷ δακτύλῳ; *πυγῶν* enim Græcis denotat intervallum, quod à cubiti flexu ad initium usque auricularis sive parvi digiti procurrit, teste *Hesychio* apud *Henr. Stephani Tom. iii. Thes. Lingv. Græc. col. 286.*) qui vulgo describuntur: quod sint animalia mediae cuiusdam naturæ homines inter & bruta, ad hominum tamen formam & similitudinem efficta, magnitudine cubitum vix excendentia, montes, saxa & subterranea loca incolentia, ibidemque prægrandes thesauros custodientia, multas certe Græcis pariter & Romanis fabulas comminiscendi dederunt occasionem. Hinc Pygmæorum gentes à gruibus ex Thracia suis sedibus esse fugatas *Plinius Hist. Nat. Lib. IV. cap. II.* Homerus vero *Iliad. iii. c. xi.* in Ægypto Pygmæos à gruibus cæsos, fabulantur.

C

Ist-

26

28

29

Isthæc vero fabula nondum vetustate fordet, quippe cui non vulgus modo, sed, quod mireris, viri aliquot non illiterati suum nostris quoque temporibus adje-  
runt calculum. Teste enim Roberto Sheringhamo  
in *Notis ad Cap. XIII. Discept. de Anglorum gentis Origine Cantabrigæ 1670.* edit. p. 295. seqq. Janus Cæcilius Frey, Medicus  
Parisensis *Cosmograph. Cap. X.* Reperiuntur, inquit, in locis  
subterraneis Pygmæi, non jam de his loquor, qui casu aliquo sunt  
monstra, & ex hominibus nascuntur, sed de iis, qui intra terram  
reperiuntur iisdem in cavernis cubitali tantum magnitudine:  
ut taceam alios. Nos certe experientiæ suffragio inni-  
tentes, nec extare, nec extitisse unquam Pygmæos i. e.  
animalia, ad modum supra commemoratum, faxa ter-  
ramq; incolentia &c. arbitramur, sed quicquid hac de re  
narratur & circumfertur, præsertim ab iis, qui in metal-  
licis versantur fodinis, id omne aut fabulas, aut illusio-  
nem atque glaucoma maligni Spiritus esse credimus.

### Qv. V. Quinam Parvorum aut statura brevium nomine nobis veniant?

**V**Arios varii mensurandi modos excogitarunt ad de-  
finiendam justam & proportionatam hominis statu-  
ram: *Plinius* tantam requirit latitudinem, à summitate  
digitorum dextræ manus ad aliam digitorum sinistræ  
summitatem, extensam, quanta est altitudo à capitis ver-  
tice ad plantam pedum. Hæc autem quoniam utrius-  
que tam Proceræ quam Brevis staturæ hominum cor-  
poribus conveniens esse potest, cum recentioribus  
*Jo. Imperialis in Museo Physico Libr. III. c. IV. p. 156.* post va-  
rias

rias observationes, ad certum quendam terminum & mensuram hominum staturas revocans, statuit: Corpus humanum, quatuor pedum Italorum ( quorum singuli duodecim constituant uncias) & semis circiter altitudinem non transcendere ; Ab hac mensura deficientes Parvos, eam excedentes Magnos appellat; quanquam in Brevitate gradus adhuc agnoscat: *Hinc enim, inquit, Parvi homines erunt, qui in etate jam adulta non excedunt quatuor pedes, quæ communis est Parvorum statura: Qui per tres uncias ab hac deficiunt, erunt minores Parvis: qui vero tres pedes cum dimidio non transcendent, erunt valde Parvi: tandem si duobus pedibus cum dimidio consistent, erunt Pusilli & maxime Parvi: Infra hanc mensuram Nani tantum erunt & monstra, nec inter perfectos homines reponendi.* His præsuppositis facile colligitur (1) excludi à nostro Catalogo Pueros atq; Infantes, qui, licet ob defectum ætatis justam nondum attigerint staturam, omnis tamen generis eruditione celebres extiterunt, quippe in quorum Exemplis colligendis alii jam desudarunt, utpote *Philippus de Berlaymont Jesuita, in Paradiso Puerorum Colon. Agripp. Ao. 1619. edito Part. II. c. 9. & 10.* quaque primo ponendus erat loco , inclusus Galliae Polyhistor *Adrianus Baillettus integro Libro* quem inscripsit: *Des Enfans devenus celebres par leurs Etudes ou par leurs Ecrits Traité Historique à Paris. 1688.* nec non, qui post ejus messem spicas legit, *Seb. Kortholtus Poës. Prof. in Acad. Kilon. Disquisitione de Poëtriis Puellis, & quam, in Dissert. Kiloni 1701. de studio Senili habitâ, luci publicæ se expositurum promisit, de Poëtiis Pueris una cum aliquot Centuriis Puerorum ob omnis generis Eruditionem celebrium, quæ autem quantum nobis quidem constat, lucem adhuc non*

C 2

26

28

29

non viderunt. (2) Sicco etiam quod ajunt pede à nobis præteriri *Ordinem Pumilorum*,

*Quos natura brevi statu peracto  
Nodosum semel in globum ligavit.*

ut cum *Papinio Poëta* loquar: Quanquam & hos inter reperiantur à scientia & eruditione Clari. v. *Nicephorum Libr. XII. Hist. Eccl. cap. 37.*

**Qv. VI.** Quænam ex alterutra, eminens ne an abbreviata, hominis statu-  
ra ad Scientiarum & Eruditionis  
culmen attingendum magis  
sit idonea?

**T**antum à nobis abest, ut in definienda hac Quæsti-  
one laudibus ingeniiorum illorum quicquam detra-  
here animus sit, quos Deus & natura proceris finxit  
corporibus, ut potius vel maxime improbemus invidi-  
osa inter alia & ex parte injuriosa illa *Eryci Puteani*  
verba in *Encomio Parvorum*, ex *Dornavio* sub initium  
præfat. nostræ, citato: *Adeste omnes magni, & qui Maximini  
caligam estimatis: Parvos magnis præstantiores esse ostendam, &  
ab omni ævo fuisse. Repetite memoria omnium temporum ata-  
tes, mentiar, nisi magnos fere omnes stolidos, inertes, barbaros,  
impios; contra Parvos animosos, industrios, morum elegantia &  
doctrina illustres reperietis: Neq; ulla ratione aut Catullo  
assensum præbeamus, qui Epigramm. 87. in vastis corporibus  
ut plurimum ne micam inesse salis & ingenii dicit, aut cum  
vulgo trito illi proverbio: Amens longus vel homo longus.  
raro*

*raro sapiens, calculum nostrum adjiciamus, haud quippe  
ignari tulisse secula Lycurgos, Solones, Demosthenes,  
Septem Greciæ Sapientes, Platones, Menedemos, Apu-  
lejos, & quos ex recentiorib⁹ instar multorum nomino,  
Scaligeros: at quantos Eruditionis & sapientiæ fama-  
pariter & staturæ eminentia Viros!*

Non tamen etiam in sententiam *Jo. Eissii Hambur-  
gensis* concedere possumus, qui ad eundem fere modum,  
quo *Jacobus Balde Jesuita, Antagathyrsum suum h. e. En-  
comion s. Apologiam Pinguium adversus Agathyrsum i. e. exultan-  
tantem congregationem Macilentorum ligatā oratione editum,*  
stylo scilicet Satyrico, nil tamen nisi scommata, non-  
nunquam etiam aniles fabulas, spirante, *Discursum suum  
de Staturæ Proceritate conscripsit & Hamburgi 1618 typis  
evulgavit.* Hic ut pro more *Miraculæ Thæsis ægre faciat,*  
inter alia pag. 100. quanquam fateri cogatur, extitisse  
quosdam exiguae staturæ homines, qui non temnendam  
sui nominis famam Posteris ob mediocrem (ut frigide  
satis loquitur) ingenii promptitudinem reliquerint: id  
tamen non tam naturæ beneficio, quam exactissimæ  
potius institutioni & propriæ industriæ tribuit, quippe  
quarum ope haut raro contingat, ut homines seipso  
vincant atque aliter ingenia sibi fingant, ac natura in-  
clinaverit, quam in rem citat *Petrum Gregorium Syn-  
tagm. J. II. Libr. XLI. cap. 7. n. I.*

Verum præter Educationem & Industriam, quæ in omnibus hominibus  
requiruntur, ipsam quoque naturam singulare quid & præcoccia ut plurimum in-  
genia indulsiſſe hominibus exiguae staturæ, jam dudum plerique Doctorum  
agnoverunt. Hinc enim est, quod *CATO* parvorum irrisores increperunt:

*Corporis exigui vires contennere noli;*

*Confilio pollet cui vim natura negavit.*

Quid? quod *ALEXANDER APHRODISÆUS* Libr. I, Probl. 25. tanquam Po-  
stula.

24

29

28


26

## DE VIRIS STATURA PARVIS &amp;c.

stulum atque rem omnium calculo comprobata, hanc inter Problematā sua referat Questionem: *Cur homines, qui brevi sunt corpore, prudentiores magna ex parte sint, quam qui longo?* Veteres ergo æque ac Recentiores Philosophi, questionem hanc in favorem homulorum definientes, operosi sunt in reddendis rationibus ex natura potissimum & constitutione hominum depromptis. ARISTOTELES enim Lib. Physiogn. sub finem (in cuius verba ita juravit JO. IMPERIALIS, ut ne latum quidem unguem se ab iis discedere dicat Mus. Phys. Libr. III. Cap. IV. p. 156. seqq.) rationem suppeditaturus, quare statura valde Parvi acuto plerumq; sint ingenio? respondet: quia motus sanguinis ac spirituum fiant in parvo loco, quam ob rem hi velociter à corde ad cerebrum, & vicissim à cerebro ad cor ferantur, qualis velocitas faciat ad promptitudinem celeritatemq; discursus, quæ ingenii acutiem quoque innuat. A quibus non dissentit PAULUS VECCHI Observat. Physiogn. 14. Causam petens ex proximiore cordis & cerebri vicinia in parvis corporibus, unde per majorem spirituum fervorem negotiatio Phantasæ & inde resultans ingenii celeritatem promoveatur.

Nonnulli tamen cum RICHARDO a MEDIAVILLA Quodlibet. II. Qv. 18. cuius titulus est: *Utrum melius sint dispositi ad scientiam parvi quam magni?* in decidenda questione ad temperamenta sive Complexiones respiciunt, quarum unaquæque non solum in homine ad Quantitatē operetur, sed etiam ad Qualitatē; & cum Sanguinea Complexio, quo plus in homine dominetur & prævaleat, eo plus ad brevitatem eum inclinet: hinc ex bonitate Complexionis sanguineæ concludunt: Mediocritatem, quæ magis ad brevitatem accedat, præstare ad scientias consequendas. Complexionem vero ex sicca & calida temperatura mixtam h. e. Cholericanam, ad actiones, discursus & speculations Parvos reddere inhabiles ex hac ratione, quia in parvo loco & angusto, qualis est spacium inter cor & cerebrum hominis pusilli, motus sanguinis & spirituum fiant celerrimi ac vehementes, inde, antequam unus motus ad suum terminum proveniat, supervenire alium & sic subinde alium atque alium, quem in modum se mutuo isti motus impediunt & confundant, ex quo indistincta, confusa, tarda, insipiens & furiosa quædam resultet cum ad intelligendum, tum ad agendum facultas. Contra, qui frigida & humida gaudent temperaturam, i. e. Phlegmatica, ingenio ad animi operationes obeundas accommodato esse præditos. Ex motus enim sanguinis Symmetria & Proportione, actionum quoque resultare perfectionem. Quantum enim motui spirituum & sanguinis obicit frigiditas, tantum compensare brevitatem spaci, quod inter cor & cerebrum intersit ob statuta brevitatem; motumq; sanguinis, qui alias tarde ad cerebrum latus inutilis evaderet animæ functionibus, remanere sufficientem & bonum ob brevem terminum ad quem feratur distantiamque, quæ tarditatem supplet.

Quicquid tandem cause sit, certe μικραν θεωπης eminentis statura homines ingenio pariter & doctrina omni tempore si non antecessisse ad minimum tamen æquasse, selectissimis celeberrimorum quorumq; Theologorum, Ætorum, Medicorum, Philosopherum, Historicorum, Oratorum, Poëtarum &c. exemplis in proxime sequenti Dissertatione B. C. D. ibimus demonstratum.











23  
& invenietur scientia in mulieribus , sive de  
tellectum id velint , sive quod verisimilius est ,  
nisi acumine , qua tamen nulla audacior esset  
hyperbole , convincere erroris ac temerarii a  
bimus .

## XVI.

Illud interim , dum ad ipsum , quantum  
admodum exemplorum recensum altera Dissertat  
bit , monendum supereft , cum nequidem ad  
que suæ arcana mulieres admittere velint suas  
res , vix esse , cur magnum aut qualem cunctu  
eruditio[n]is apparatus ab iisdem nobis promittit  
postquam , quam alieno sit animo tota gens E  
na externa & literatura Græca Latinaque non  
verum etiam Philosophia addiscenda , satis sup  
si a Lusitanis , hodie certe , discedas , uti vix n  
inter eruditissimos cætera Judæos vel prima  
pientiae externæ rudimenta teneat , nemini  
versato ignotum esse potest ; magno quidem  
versionis ac salutis impedimento & singulari  
vino justoque judicio , quo fieri solet , ut quæ  
ipso[s] latine plerunque scribuntur , (non satis  
hac ratione instar clausorum Librorum , ut pr  
XXIX. II. 12. illis sint , quos nec evolvunt ac  
queunt , multominus intelligunt aut in animu[m]  
longo majori suæ nationis dedecore , quippe q  
olim toti terrarum orbi ad invenienda disciplina  
creta & excolenda eadem præluxisse non posse  
rum Doctorum est sententia scriptis haud prolet  
quinto ab ipsomet Judæis , quorum aliquis o  
& disciplinam Paganorum ינחו להם חכמי העברים

